



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

LOCORUM PHILOLOGICORUM

FASCICULUS PRIMUS.

SCRIPSIT

Dr. E. F. BOJESEN,
CONSTITUTUS RECTOR SCHOLÆ SORANÆ.

Indbydelseskrift

til

Soro Academies Skoles aarlige Hovedexamen
i Juli 1846.

Kjøbenhavn.

Trykt hos J. C. Scharling.

Jndhold.

	Side.
Explicatur locus Ciceronis. De orat. II, 35	1.
Quæritur, quid de metabole et melopoeia docuerint Græcorum harmonici	34.
Æfterretninger om Sorø Academies Skole og Dybragelsesanstalt	47.

Explicatur locus Ciceronis. De orat. lib. II, cap. 35.

In secundo Ciceronis libro, qui est de oratore, Antonius (cap. 35) Catulo, Cæsare, Sulpicio, Cotta audientibus de eloquentia ita disputat, ut ex iis rebus, quæ ad invenendum valeant, primas concedat ingenio, secundas diligentia, arti perpauulum loci esse statuat. Hoc ut ceteris probet, philosophos commemorat, qui quum nulla tradant præcepta dicendi, tamen orationis copia abundant. Catulus hoc verum esse concedit (cap. 36), addit autem: "sed Aristoteles is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur; a quo quidem homine iamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti, quod quidem magis verisimile videtur. Plus enim te operæ Græcis dedisse rebus video, quam putaramus". Ad hæc Antonius statim ita respondet, ut se Græcis maximas res profitentibus aurem admovisse non neget; paullo post (cap. 38) ubi ex nobilissimorum philosophorum numero, qui Athenis Romam quondam missi essent, Critolaum Peripateticum oratoris studio plus prodesse potuisse ostendit, quam Diogenem Stoicum: "Erat enim,

inquit, ab isto Aristotele, a cuius inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem, cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quædam de eadem arte dixit, et hos germanos huius artis magistros hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque adspexit, quæ ad dicendi artem, quam ille despiciebat, pertinebant. Illi autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione tractanda non eadem prudentia, qua ille, sed usu in hoc uno genere studioque maiore". Ex his verbis manifestum est, Ciceronem (nam mittamus Antonii personam) et cum legisse Aristotelis librum, qui inscriptus erat *τεχνῶν συναγωγή**), cuius argumentum explicavit Cicero de invent. II, 2, 6, et rhetoricos libros**), eademque certissimo testimonio

*) Unum fuisse docet Anonym. in vita Aristotelis, quam Menagius ad Diog. Laert. V, 35 edidit, duos fuisse tradit Diog. Laert. V, 24.

**) Quod in editione librorum Cic. de orat. ad libr. II, 38 ait Ellendt: "illi libri, quibus sua quædam de ea arte dixit, sunt *ρήτορικῶν*, quos, quia ornandæ orationis et agendi artificium leviter tractant, hic contemnit Cicero", id mihi parum accurate dici videtur. Agendi artificium non leviter tractavit in rhetoricis Aristoteles, sed omnino intactum reliquit, neque ornandæ orationis artificium, quod et *ἀναγκαῖον* et *ἑτερονον* esse videbat, leviter tractavit, sed in tertio rhetoricæ libro satis accurate persecutus est. Nec denique Aristotelis libros rhetoricos a Cicerone contemni video, immo et in tertio libro de orat. (cap. 47) et in aliis locis, ubi de dicendi ornamentis disputat, Aristotelis orationis exornandæ præcepta commemorat.

confirmant, Ciceronem in his de oratore libris scribendis ex rhetoricis Aristotelis scriptis quædam hausisse*). Quæ quum ita sint, operæ pretium fuerit paullo accuratius,

*) In epist. ad Famil. I, 9 Cicero hæc scripsit: "Scripsi etiam Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione et dialogo de oratore". His verbis locus quidam epist. ad Atticum XIII, 19 repugnare videtur, in quo Cicero ait: "Sunt etiam de oratore nostri tres mihi vehementer probati. In iis quoque eæ personæ sunt, et mihi tacendum fuerit — quæ autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτελειον morem habent, in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus". Itaque in altero loco libri de oratore Aristotelio more scripti esse dicuntur; in altero libri de finibus bonorum et malorum ita Aristotelium morem habere dicuntur, ut ex adverso opponantur libris, qui sunt de oratore. Hos locos Stahrus (Aristotelia II, pag. 216) ita inter se conciliare studet, ut Aristotelium morem in altero loco ad universam formam dialogicam, in altero ad singularem quandam huius formæ speciem referendum esse putet. Sed hoc mihi parum probatur. Nam ut bene intelligo, singularem quandam generis dialogici speciem, quippe quæ Aristotelis propria fuerit, huius nomine designari potuisse, præsertim quum totâ illâ epistolâ de dialogica forma disputetur, ita non video, quomodo universa dialogorum forma Aristotelis nomine appellari possit, quum hæc scribendi ratio nec Aristotelis propria sit nec ad plurima aut præcipua eius scripta pertineat. Quæ quum ita sint, "Aristotelium morem" non ad scribendi formam dialogicam, sed, sicut his ipsis verbis in libr. de orat. III, 21, 80 usus est Cicero, ad universam rei propositæ tractandæ rationem referendum puto, quam opponit icuæ rhetoricorum doctrinæ, quæ in libris de orat. sæpissime exagitur. Inter Aristotelem autem et rhetoricos magistros illud inprimis intererat, quod hi singula artis præcepta et minutas rerum divisiones particulatim decantabant (de orat. II, 27 et 39), ille doctrinam suam ad universas rerum quæstiones revocabat. Itaque ut eiusmodi disputandi et quærendi genus indicaret, uno

quam adhuc factum est ab horum librorum interpretibus, quærerere, quomodo Cicero in his libris Aristotele duce usus sit, quid ex huius philosophi copiis sumpserit, quid de suo adiecerit. Sed quoniam ea disputatio amplior est, quam ut his angustiis capi possit, particulam eius hic amplexi quæremus, quo iure Antonius Catulo visus sit non abhorrere ab inventis Aristotelis. Id si nobis propositum erit, magna illa et late diffusa quæstio ætioribus finibus circumscribetur, qui ab exitu proœmii libri secundi, hoc est a capite 8 ad initium capitis 36 pertinent. Nam quæ in primo libro ab Antonio disputantur, ad ea referri non possunt hæc verba Catuli, quem prioris diei sermoni non interfuisse constat.

Quo facilius autem inveniamus, quid in hac disputationis parte ab Aristotele sumptum esse Catulus, vir Græcarum rerum peritissimus, testetur, non inutile erit horum capitum argumentum paucis exponere. Primum igitur Antonius breviter docet, esse quandam dicendi artem summamque esse orationis utilitatem et dignitatem (cap. 8—10, 41). Deinde ut oratoris munus explicet, duo esse prima quæstionum genera ostendit, alterum infinitum, alterum certum. Hoc autem aut in lite oranda aut in consilio dando positum esse. Laudationes cur non opus sit in tertio genere ponere, copiosa oratione exponit (ad cap. 18). Tum breviter demonstrat, quam ieiuna

eoque maxime insigni usus est Aristotelis nomine. Hoc autem sensisse Ciceronem, ostendunt etiam ea, quæ sequuntur in epist. ad Famil.: "Abhorrent enim a communibus præceptis (hoc est rhetorum præceptis, quæ de orat. I, 31 communia et contrita præcepta dicuntur) et omnem antiquorum et *Aristoteliam* et *Isoeratiam* rationem complectuntur

et ridicula sit tota Græcorum dicendi magistrorum doctrina (ad cap. 20, 85). Inde ad suam rationem explicandam ita ingreditur, ut doceat, qualem esse velit eum, qui ad dicendum instituatur (ad cap. 22), huic autem primum præcipiat, ut deligat sibi aliquem ad imitandum; quod imitandi genus semper valuisse, multis exemplis ostendit (ad cap. 24), deinde ut, quascunque causas acturus sit, eas diligenter et penitus cognoscat (ad cap. 24, 104). Tum causæ genus*) constituendum esse (ad cap. 27). Cognito causæ genere videndum esse, quo referenda sit argumentatio. Deinde considerata, quæ ad animos iudicum vel conciliandos vel movendos valeant (ad cap. 27, 116). Ad probandum autem duplicem oratori subiectam esse materiem, unam earum rerum, quæ in re ipsa positæ sint, alteram earum, quæ ab oratore inveniantur. Utriusque generis locos oratori multa meditatione cognitos et perspectos esse debere, eosdemque, etsi singulæ causæ certis personis et temporibus definiantur, tamen ad universi generis vim et naturam revocandos esse (ad cap. 35). Denique ea disputantur, quæ in principio huius commentationis posuimus.

Quærentibus nobis, quid sit in hac disputatione, quod ex Aristotelicis copiis sumptum videatur, occurrunt quædam, quæ quum sint ab Aristotele plane aliena, segreganda esse, facile appareat. Ex hoc genere sunt, quæ de laudationibus contra Aristotelem ipsum disputantur, et pleraque eorum, quæ contra vanam et inanem rhetoricorum

*) De constitutionibus, quæ vocantur, coniecturali, definitiva, generali (translativa) vid. de invent. I, 8—11, Orat. 31, 121, Top. 21, Oratt. partt 9 et 29.

præcipiendi rationem afferuntur. Quidquid vero de oratoris munere et officiis ita disseritur, ut ex media oratoris vita et experientia penitus haustum et ex ipsius fori usu et exercitatione depromptum esse videatur, quidquid non tam ad dicendi artem via et ratione explicandam quam ad oratorem ipsum perite et prudenter instituendum ac formandum accommodatum est, id nec in libris Aristotelis, qui hodie exstant, reperitur nec in ullo unquam Aristotelis scripto reperiri potuisse confidenter affirmaveris. Ex hoc genere sunt, quæ de instituendi oratoris indole, de magno aliquo oratore ad imitandum deligendo, de causis propositis accurate et penitus cognoscendis præcipiuntur. Nam eiusmodi monita utilia illa quidem, sed tota in oratoris usu posita, ἀτέχνα sunt et ab Aristotelis mente et ingenio prorsus abhorrent; is enim non minus quam rhetorici illius ætatis doctores, quos toties in his libris insectatur Cicero, a forensi usu et exercitatione rerum alienus erat. Sed inter Aristotelem et istos dicendi magistros illud intererat, quod hi rivulos, ut ait Cicero, et seclusas aquilas consecrati contrita et communia præcepta decantabant artisque rationem minutis divisionibus distinctam et in tenuissimas particulas discerptam tradebant*); quæ doctrina quum nec usu et tractatione rerum nec firmiore philosophiæ fundamento nixa esset, fieri non poterat, quin vana sæpe et inania captans nec veram utilitatem nec accuratam cognitionem discentibus afferret; Aristoteles autem doctrinam suam ad universas rerum quæstiones revocans et quidquid erat ἀτέχνον firmo et

*) Huius præcipiendi rationis exempla vel ex Ciceronis scriptis rhetoricis vel ex posteriorum rhetorum, quæ exstant, artibus sumere licet.

subtili iudicio respuens orationis vim et naturam penitus reconditam explicabat et a ceteris cognitionis humanæ partibus accurate seiungebat, in ipsaque arte quo quidque loco ponendum, quo singula præcepta referenda essent, acute videbat. Hoc præcipiendi genus ita ad suam rem adhibere studebat Cicero, idque ei in his libris conscribendis propositum erat, ut ad Aristotelicæ doctrinæ acutam subtilitatem adderet, quæ ipse usu et exercitatione rerum imbutus cognovisset*). Quum igitur, ut paullo ante vidimus, ex his capitibus, quæ tractanda sumpsimus, tam multa seiungenda videantur et a disputatione nostra segreganda, restant universa quædam et ex interiore artis natura repetita quasi rhetoricæ fundamenta, quæ si ex Aristotelis libris hausta sunt, suo iure contendere videtur Catulus, Antonii orationem ab inventis Aristotelis non longe aberrare. Quo magis autem illustretur res proposita, hæc rhetoricæ artis fundamenta ita tractabimus, ut, quoad per summam rerum obscuritatem fieri liceat, paucis quæramus, quid artium scriptores Aristotele priores, quid posteriores ante Ciceronis tempora de singulis rebus docuerint.

*) Itaque hi libri, ut omnem Aristoteliam rationem complectuntur (epist. ad Fam. I, 9), ita ex altera parte continent, quidquid maximo usu percipi potuit (de orat. II, 3, 11), neque tam id agitur, ut dicendi aliqua ars explicetur, quam ut oratorii usus monita quædam tradantur (de orat. II, 41, 175).

A.

Quæritur, sitne rhetorica ars.

Quum iam diu floretet eloquentia, artem et præcepta Siculos Coracem et Tisiam primos conscripsisse, antea autem neminem solitum via et arte, sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere, Aristotele auctore tradit Cicero Brut. cap. 12. Utriusque commemorantur *τέχνηαι* *). Atque hæc artis initia apud Siculos exstitisse, inter omnes constat **). Apud Græcos quum a sophistis, Protagora, Prodicus, Hippia, Gorgia, aliis multis, quos docte et accurate enumeravit Spengel in libro, qui inscribitur *συνεγγωγή τεχνῶν*, traderetur dicendi ars, his eloquentiæ magistris totique rhetoriæ gravissimum bellum intulerunt philosophorum multi iam ab ipso capite Socrate, qui iudicabat, unumquemque in eo, quod sciret, satis esse eloquentem, et discipulo eius Platone, qui quum in aliis libris tum in dialogo, qui inscribitur Phædrus, in rhetores acriter est invecus, ita ut veram esse eloquentiæ artem negaret; omnem autem dicendi laudem in scientia positam esse, hoc est in dialectica arte cognoscenda et in animorum naturis et varietatibus penitus perspicendis, ad quam cognitionem ex media philosophia petendam si accessisset ingenium et

*) Coracis *τέχνην* nominant Aristoteles Rhet. II, 24 et Syrianus in Hermog. rhet. vid. Walz Rhet. Græc. vol. IV pag. 575. Tisiæ commemorat Lucian. Pseudol. cap. 30 T. III p. 187 Reitz. Utriusque *τέχνη* nominatur in scholiis in Aphthon. progymn. Walz Rh. G. II, 633.

***) De initiis artis rhet. vid. Proll. in Hermog. rhet. Walz Rh. G. IV, II seqq.

exercitatio, hanc demum esse veram eloquentiam Phædr. p. 258 E. Atque eiusmodi quæstiones sæpe in gravissimæ disputationis discrimen vocatas esse, ex primo libro Ciceronis de orat. 18, 82—21 intelligimus, ubi Antonius coram se graviter et copiose Athenis disputatum esse ostendit, quum Menedemus rhetor artem suam laudando extolleret, Charmadas, nobilis philosophus, dicendi artem esse negaret, quod omnes partes eius prudentiæ penitus in media philosophia retrusæ et abditæ essent, nec ulla esset ars, nisi quæ cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur; omnia autem, quæ tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta, quum et dicerentur ab iis, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda sed exigui temporis aut falsa aut certe obscura opinio. Itaque hunc philosophum persuasisse sibi ostendit Antonius, nullum esse artificium dicendi. Eadem fere argumenta afferuntur apud Quintilianum instit. orat. II, 17 negantium, artem esse rhetoricam, quod propria materia careat, quod falsis opinionibus assentiatur, quod non habeat finem aliquem propositum, quo tendat, quod sibi sit contraria. Itaque non omnes *artem* (τέχνην) aut *scientiam* (ἐπιστήμην) rhetoricam dicebant, sed alii *vim* s. *potestatem* s. *facultatem* (δύναμιν), alii *usum* vel *exercitationem* (ἐμπειρίαν, ἄλογον τριβήν). Qua de re copiose et accurate disputavit Quintilianus inst. orat. II, 15—16*). Eademque de causa Cicero, ubi rhetoricam commemorat, sæpe ita

*) Vide præterea Doxopatri homil. in Aphthon. Walz Rh. G. II, 102 seqq. et Prolegg. in Hermog. rhet Walz Rh. G. IV, 19 seqq. et 53.

loquitur, ut quid sit, definire non audeat, ut de invent. I, 2: "Si volumus huius rei, quæ vocatur eloquentia, sive artis, sive studii, sive exercitationis cuiusdam, sive facultatis a natura profectæ considerare principium". Si vero accuratius quærimus, quid ipsi Ciceroni hac de re visum sit, dubitari non potest, quin ex Crassi oratione (de orat. I, 23) hoc perspicere liceat. Ait enim, omnem contentionem in verbi controversia sibi positam videri. Nam si ars definiatur ex rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio seiunctis scientiaque comprehensis, non sibi videri artem oratoris esse ullam. Varia enim et ad vulgarem popularemque sensum accommodata esse omnia genera forensis dictionis. Sin autem ea, quæ observata sint in usu ac tractatione dicendi, ab hominibus callidis et peritis animadversa ac notata, generibus illustrata, partibus distributa sint, non intelligere se, quamobrem non si minus subtili definitione, at vulgari opinione ars esse videatur. His simillima sunt, quæ Antonius in libro II, 8 disputat, dicendi artem esse non maximam, sed tamen præcepta posse quædam dari peracuta ad pertractandos animos et ad excipiendas eorum voluntates. Deinde hæc addit: "*Etenim quum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant, non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius quam alii dicant, id possit notare.*" Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. Hæc autem in singulis fere verbis conveniunt cum iis, quæ Aristoteles Rhet. I, 1 de eadem re docuit, nisi quod Cicero ut orator in artis initiis quærendis oratorem in foro dicentem respexit, Aristoteles ut

philosophus rem altius repetens magis universe artis originem et principia ad communem hominum sermonem revocavit. Ait enim: πάντες γὰρ μέχρι τινός και ἐξετά-
 ζειν και ὑπέχειν λόγον και ἀπολογεῖσθαι και κατηγορεῖν
 ἐχειροῦσιν. τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῆ
 ταῦτα δρῶσιν, οἱ δὲ διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως.
 ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν
 αὐτὰ και ὁδοποιεῖν. δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν
 οἷ τε διὰ συνήθειαν και οἱ ἀπὸ ταῦτομάτου,
 τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται, τὸ δὲ τοιοῦτον
 ἤδη πάντες ἂν ὁμολογήσειαν τέχνης*) ἔργον
 εἶναι. Itaque videmus, Aristotelem in dicendi artis vi et natura
 diiudicanda nonnihil discessisse a Platone. Hic enim
 contra sophistas disputans totam rhetorum artem prorsus
 vanam et inanem esse declaravit et, quidquid ad dicendum
 valeret, totum a philosophia petendum esse ostendit;
 Aristoteles autem rei veritate cautius et prudentius perspecta
 rhetoricam et artem esse professus est et adeo non com-
 tempsit, ut dicendi artes omnium superiorum congereret
 et accurate exponeret. Deinde ipse hanc artem rhetoricis
 libris ita illustravit, ut certos ei fines poneret. Itaque
 Rhet. I, 2 sic eam definivit: ἔστω δὴ ῥητορικὴ δύναμις
 περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρηῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν·
 τοῦτο γὰρ οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον.
 Hoc est igitur rhetoricæ artis proprium, aliam non habet,
 sicut ceteræ artes, propriam materiam, in qua versetur;

*) Vide Metaphys. I, 1 ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμη και τέχνη διὰ τῆς
 ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις· ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ
 Πλάτων, ὁρθῶς λέγων, ἡ δ' ἀπειρία τὴν γίνεσθαι δὲ τέχνην, ὅτιον ἐκ
 πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων μιὰ καθόλου γένηται περὶ τῶν ὁμοίων
 ὑπόληψις.

id quod est ei cum dialectica commune. Itaque hæ artes sunt οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης **Rhet. I, 1**, et: τῶν γὰρ ἄλλων (τεχνῶν) ἐκάστη περὶ τὸ αὐτῇ ὑποκειμένον ἐστὶ διδασκαλικὴ καὶ πειστικὴ*), οἷον ἰατρικὴ περὶ ἰγυεινὸν καὶ νοσερὸν καὶ γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι καὶ ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμὸν, ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν· ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν· διὸ καὶ φραμεν αὐτὴν οὐ περὶ τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν, et paullo post: περὶ οὐδενὸς γὰρ ὠρισμένον οὐδετέρᾳ αὐτῶν (ἃ: nec dialectica nec rhetorica) ἐστὶν ἐπιστήμη (non est igitur scientia) πῶς ἔχει, ἀλλὰ δυνάμεις τινὲς τοῦ πορίσαι λόγους **Rhet. II, 1**. Quum vero in persuadendo posita esset hæc ars (**I, 1** αἱ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον et paullo post: ἡ μὲν ἔντεχνος μέθοδος περὶ τὰς πίστεις ἐστίν) idque spectaret, ut audientes doceret conciliaret, moveret, eum ei assignavit locum, ut esset οἷον παραφνές τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ τῆς περὶ τὰ ἥθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικὴν**). Itaque gravissimam partem rhetoricæ, quæ dialectica et ethica continetur, duobus primis libris persecutus est Aristoteles. Quum autem facile appareret magni interesse non solum quid, sed etiam quomodo dicendum esset scire (**Rhet. III, 1**), præter εὔρεσιν adsumpsit etiam λέξιν et τάξιν, quas oratoricæ artis partes libro tertio illustravit. In hac universa artis ratione ut plerique artium

*) Cic. de orat. II, 2. "Etenim ceteræ fere artes se ipsæ per se tuentur singulæ; bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis sæpta (ars) teneatur."

***) Ad bene dicendum plurimum valere dialecticæ et ethicæ cognitionem, Plato quoque docet. Vid. Phædr. p. 262—272 Stallb.

scriptoras, ita Cicero Aristotelem secutus est, sed ita tamen, ut in rhetoricæ vi et natura et finibus describendis minus accurate et subtiliter elaboraret et præter dialecticam illam atque ethicam et civilem prudentiam oratoris propriam posteriorum Græcorum more de reliquis cognitionis et scientiæ generibus, quæ oratori in concione vel senatu dicenti usum afferre possent, ut de iure civili, de historia, multa disputaret, quæ omnia, quippe quæ magis fori usum quam scientiæ subtilitatem spectarent et potius singularum orationum materiam quam universæ orationis naturam attingerent, ab Aristotelis ratione aliena erant. Denique ad tres artis partes ab Aristotele fractatas in tertio libro duas addidit, memoriam et pronuntiationem sive actionem, ex quibus memoria ab Aristotele non commemoratur, pronuntiandi ars nondum nata esse dicitur Rhet. III, 1: οὐπω δὲ σύγκειται τέχνη περὶ αὐτῶν (ᾧ: τῶν περὶ τὴν ὑπόκρισιν) et paullo post: καὶ ἔστι φύσεως τὸ ὑποκριτικὸν εἶναι καὶ ἀτεχνότερον. Utramque a Græcis rhetoribus Aristotele posterioribus sumpsit*).

*) Theophrastus librum περὶ ὑποκρίσεως scripsisse dicitur Diog. Laert. V, 48. Ceterum etiam auctor ad Herennium III, 11 negat, quemquam de pronuntiatione diligenter scripsisse, et de orat. I, 32 Crassus: "Quin etiam, inquit, quæ maxime propria essent naturæ, tamen his ipsis artem adhiberi videram. Nam de actione et memoria quædam brevia, sed magna cum exercitatione præcepta gustaram". Fuisse etiam postea, qui memoriam et pronuntiationem ab arte excluderent, docet Quinet. Inst. orat. III, 3, qui has partes a Thrasymacho sophista remotas esse tradit.

B.

Quæritur, quomodo dividenda sit materia oratori subiecta.

Ubi primum id agi coeptum est, ut res in usu et tractatione dicendi observatæ et dispersa orationis præcepta, quæ primos rhetoricæ magistros notasse et litteris mandasse probabile est, ad artem redigerentur et ratione concluderentur, fieri non potuit, quin accuratius quæreretur, qui finis huic arti propositus esset et in qua materia versaretur. Finis facile inventus est is, ut persuadendi rationem traderet s. ut esset *πειθοῖς δημιουργός**). Quærentibus autem, quam late pateret artis materia, difficilius fuit certos fines et terminos constituere. Nam quum dicendi ars in foro et in senatu maxime propriam sedem et velut domicilium haberet, sed tamen facile appareret, nihil esse, quod non dicendo scribendoque ornari et ad persuadendum apposite tractari posset, magna hinc et de nomine rhetorum et de tota ratione exsilit dissensio, ita ut alii rhetorem foro et consiliis hominum includerent, alii plures paucioresve scientiæ humanæ partes ei subiiicerent, alii, velut Gorgias ille, omnia, quæcunque in hominum disceptationem caderent, oratori copiose et ornate explicanda putarent, alii denique nullam rhetoricæ materiam

*) Vide Plat. Gorg. p. 453 aliisque locis, Quint. Inst. orat. II, 15. Hæc definitio iam Coraci tribuitur. Vide Anonym. epit. rhet. Walz Rh. G. III, 611. Proleg. in Hermog. Walz Rh. G. VII, 8.

subiectam esse contenderent *). Quum vero ii, qui hanc artem accuratius persequi et scribendo explicare studebant, rem immensam et infinitam via et ratione tractare atque artificiose disponere cogerentur, alii alias describendæ digerendæque materiæ vias inierunt. Antiquissima divisio, ab ipso rerum usu et tractatione petita, fuisse videtur in τὸ δικανικὸν γένος et τὸ δημηγορικόν, quum pleræque publicæ orationes aut in iudiciis aut in senatu et in foro versarentur. Hanc fuisse Platonis ætate solitam artis descriptionem, intelligimus ex Phædro dialogo p. 261 B: μάλιστα μὲν πῶς περὶ τὰς δίκας λέγεται τε καὶ γράφεται τέχνη, λέγεται δὲ καὶ περὶ δημηγορίας· ἐπὶ πλεον δὲ οὐκ ἀκήκοα; quibus ex verbis id quoque suspicari licet, quod aperto Aristotelis testimonio novimus, imprimis iudiciale genus rhetorum tractatione celebrari solitum esse. Id autem Aristoteles Rhet. I, 1 his verbis affirmat: διὰ γὰρ τοῦτο τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικά, καὶ καλλίου καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι, περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι πάντες περιῶνται τεχνολογεῖν. Hanc bipartitam artis divisionem Anaximenem, rhetorem **) Lampsacenum, Alexandri præceptorem,

*) Vide Quintilianum hac de re copiose disputantem Inst. orat. II, 21.

**) Huic Anaximeni multi tribuendam putant rhetoricam ad Alexandrum, quæ vulgo adscribitur Aristoteli, idque imprimis propter septimam illam, quæ a Quintiliano Inst. orat. III, 4 nominatur, huius scriptoris propriam exquirendi speciem, εἶδος ἐξεταστικόν, quæ in rhetorica ad Alexandrum commemoratur. Sed restat magna difficultas. In rhet. ad Alex. legitur ἑρῶ γένη. Hunc dissensum

tenuisse, Quinctilianus auctor est Inst. orat. III, 4. Plato autem, quum facundiam non solum in iudiciis et contionibus, sed etiam in rebus privatis et domesticis versari videret*), ad τὴν δικανικὴν et δημηγορικὴν addidit προσομιλητικὴν; sed hoc potius ad Platonis iudicium quam ad rhetorum artes pertinet. Primus autem Aristoteles adiunxisse videtur ἐπιδεικτικὸν γένος, genus demonstrativum vel laudativum. Itaque Cicero de invent. I, 5: "Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali". Hæc descriptio, dubitari non potest, quin sit et ipsa ex usu rerum nata, et laudativum genus ex encomiis et epitaphiis Græcorum ductum, id quod Quinctilianus quoque docet Inst. orat. III, 4, sed Aristoteles, ut philosophum decebat, non aptam modo et commodam, sed necessariam et in ipsa rei propositæ natura positam descriptionem esse, demonstrare conatus est. Ait enim Rhet. I, 3: ἔστι δὲ τῆς

plerique (ut Victorius, Spalding ad Quinct., alii) ita conciliandum putarunt, ut apud Quinctilianum excidisse putarent tertii generis nomen, sive *demonstrativum* sive *laudativum*. Spengel autem in art. script. pag. 185 et in Anaximenis arte rhetorica anno 1844 edita pag. 99 rhetoricæ ad Alex. locum emendandum putat, præsertim quum etiam Syrianus ad Hermog. Walz Rh. G. IV, 60 Aristoteli δύο γένη tribuat, neque in ipso opere nominetur ἐπιδεικτικὸν γένος. Vide tamen etiam, quæ de rhetor. ad Alex. scripserunt Lersch Sprachphil. der Alten II, 290—290 et Dr. Rampe in Neue Jahrb. 45 Bd. 1 Heft, qui hunc librum ex antiquioribus elementis a recentiore quodam et imperito scriptore compositum putat.

*) Socrat. in Phædr. p. 261 A et E. Idem sentit auctor rhetor. ad Alex. cap. 2.

ρήτορικῆς εἶδη τρία τὸν ἀριθμὸν. τοσοῦτοι γὰρ καὶ οἱ ἀχροαταὶ τῶν λόγων ὑπάρχουσιν ὄντες*). σύγκειται μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ὁ λόγος, ἕκ τε τοῦ λέγοντος καὶ περὶ οὗ λέγει καὶ πρὸς ὄν, καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτόν ἐστι, λέγω δὲ τὸν ἀχροατήν. ἀνάγκη δὲ τὸν ἀχροατήν ἢ θεωρὸν εἶναι ἢ κριτήν, κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων ἢ τῶν μελλόντων. ἔστι δ' ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων οἷον ἐκκλησιαστής, ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων οἷον ὁ δικαστής, ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως ὁ θεωρός. ὥστε ἐξ ἀνάγκης ἂν εἶη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν**). Aristotelicam descriptionem plerisque probatam esse constat, idque Quinciliani auctoritate confirmatur Inst. orat. III, 4; neque tamen omnibus eam placuisse invenimus. Iam ab Isocrate eam reprehensam esse puto. Nam quod hic, ut

*) Cic oratt. partt. cap. 3. "Nam aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator, ita ut aut delectetur aut statuatur aliquid. Statuit autem aut de præteritis, ut iudex, aut de futuris, ut senator. Sic tria sunt genera, iudicii, deliberationis, exornationis, quæ quia in laudationes maxime conferuntur, proprium habet iam ex eo nomen."

**) Horum trium generum sex sunt species, deliberativi suasio et dissuasio, iudicialis accusatio et defensio, demonstrativi laus et vituperatio. His Anaximenes, sive quis alius rhetoricam ad Alex. scripsit, adiecit ἑξιστασιζὸν εἶδος. Tempora sunt tria, deliberativi futurum, iudicialis præteritum, demonstrativi maxime præsens. Loci sunt item tres, deliberativi utile vel noxium, iudicialis iustum vel iniustum, demonstrativi honestum vel turpe Arist. rhet. I, 3. Ceterum ut Aristoteles hanc tripartitam rhetoricam ab auditorum variis generibus repetit, ita posteriores ad tres animi humani partes eam referunt. Vide Doxopatri homil. in Aphthon. Walz Rh. G. II, 121, Proleg. in Hermog. rhet. Walz Rh. G. IV, 27.

apud Quinctilianum legimus Inst. orat. III, 4, in omni genere inesse laudem ac vituperationem existimavit, id ad Aristotelem reprehendendum valere mihi videtur. Varias autem fuisse materiæ describendæ rationes videmus. Nam ne Protagoram nominem, cuius partitio a Diogene Laertio IX, 53 et Quinctiliano Inst. orat. III, 4 commemorata, huc pertinere mihi non videtur, apud Anonymum in Hermog. (Spengel art. script. pag. 184) hæc leguntur: *εἰδέναι χρή, ὅτι γένος μὲν εἶναι φασὶ τὴν ῥητορικὴν, εἶδη δὲ αὐτῆς οἱ μὲν δύο, πραγματικὸν καὶ ἐπιδεικτικὸν, οἱ δὲ τρία, δικανικὸν, συμβουλευτικὸν, πανηγυρικὸν εἰς δ' οὐ καὶ τέταρτον τοῦτοις προστιθέασιν τὸ ἱστορικὸν**). Pragmatico genere contineri videntur iudiciale et deliberativum, quæ genera in civilibus fere negotiis versantur. Panegyricum genus demonstrativo sive encomiastico**) respondet. Historicum genus a pluribus additum esse, etiam aliunde constat***). Sed erat etiam alia

*) Vide Schol. in Aphthon. rhet. Walz II, 630, ubi quartum hoc genus ad Aristotelem refertur, et Rufi rhet. Walz III, 417.

**) *Τὸ ἐγκωμιστικὸν* Quinct. Inst. orat. III, 4. De panegyrico genere vid. Syriani schol. in Hermog. constit. Walz IV, 45: *διὸ ποικίλη τις ἢ τοῦτου χρήσις, ἐν ἕμοις θεῶν, ἐν ἐπαύροις ἀνθρώπων, ζώοντων, τετελευτησάντων, ἐν ἰορταῖς, ἐν θρηνοῖς, διαβολαῖς κακίας, ἀρετῆς ἐνφημίαις* sqq. Cfr. etiam Menandrum de genere demonstrativo Walz IX, 127—330.

***) Vide not. I. Huius divisionis apud Ciceronem vestigium reperisse mihi videor de orat. II, 9: "Huius est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia, eiusdem et languentis populi incitatio et effrenati moderatio (*τὸ συμβουλευτικόν*); eadem facultate et fraus hominum ad perniciem et integritas ad salutem vocatur (*τὸ δικανικόν*). Quis cohortari ad virtutem ardentius,

divisio eorum, qui omnia oratori subiicienda putabant. Hi duo genera statuebant, infinitum alterum, in quo aliquid generatim quæreretur, alterum certum, in quo quid in personis et in constituta re et definita quæreretur. Huc pertinet Hermagoræ descriptio, qui materiam in causam (*ὑπόθεσιν*) et quæstionem (*θέσιν*) divisit*). Cic. de invent. I, 6, de orat. II, 19, oratt. partt. 1 et 18, Top. 21, Quint. Inst. orat. II, 21 et III, 5. Hæc fere sunt, quæ de materiæ dividendæ et describendæ ratione ab antiquis traduntur. Iam ad propositam rem revertamur. In lib. I cap. 31, ubi Crassus Græcorum rhetoricam breviter perstringit, et genus certum atque infinitum et generis certi tripartitam rationem commemorat. Ad hanc divisionem Antonius lib. II, 10 ita revertitur, ut genus certum aut in lite oranda aut in consilio dando positum sibi videri ostendat. Deinde hæc addit: "Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est, et, ut audio, ille ipse Aristoteles,

quis a vitis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando (α: vituperando) potest, quis maerorem levare mitius consolando? (Hæc omnia ad genus *πανηγυρικόν* referenda sunt, quod genus quam late pateat, ex not. sup. intelligere licet). Historia vero, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, qua voce alia nisi oratoris immortalitati commendatur? (*τὸ ἰστορικόν*)". Eadem divisio latet in loco corrupto Orat. c. II. "Sed quoniam plura sunt orationum genera (præter genus iudiciale) eaque diversa neque in unam formam cadunt omnia, laudationum, scriptorum et historiarum et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum etc.

*) De thesi et hypothesis vide Hermog. Progymn. Walz I, 50, Aphthon. Prog. Walz I, 108, Theonis Prog. Walz I, 119. 212, Alex. rhet. Walz IX, 33.

qui hæc maxime illustravit, adiunxit, etiamsi opus est, tamen minus est necessarium". Itaque hoc loco Aristotelem ipse nominat, caute addito: "ut audio", quod quomodo intelligendum sit, ipse postea profitetur lib. II, 38. Cicero, qui non tam id agit, ut veritas ipsa acute et subtiliter limetur, quam ut ea proferat, quæ ad discipulorum usum accommodata sint, tripartitam materiam ita reprehendit, ut laudativum genus ut minus necessarium a præceptis suis removeat; qua in re tamen adeo non sibi constat, ut non solum paullo post lib. II, 11, 44—46 de laudationibus quædam breviter præcipiat, sed etiam cap. 84 ad laudationes relapsus hoc genus diligentius retractet. Itaque Cicero ut in ceteris scriptis rhetoricis, ita hic quoque Aristotelis rationem secutus tripartitam materiam induxit.

C.

Quæritur, quibus ad persuadendum rebus nixa sit ratio omnis dicendi.

De hac re ita disputat Antonius de orat. II, 27, 114: "Quam igitur, accepto causæ genere et cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quæ sit propria quæstionis et iudicii. Deinde illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram aut eorum, quos defendimus, alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa, ut probemus vera esse ea, quæ defendimus, ut conciliemus nobis eos, qui audiunt, ut

animos eorum ad quemcumque causa postulabit motum vocemus" et paullo post cap. 29, 128 "meae totius orationis et istius ipsius in dicendo facultatis, quam modo Crassus in caelum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi, una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum." Hoc totum ex media Aristotelis doctrina sumptum est, qui Rhet. I, 2: τῶν δὲ, inquit, διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων τρία εἶδη ἐστίν. αἱ μὲν γὰρ εἰσιν ἐν τῷ ἡθελί *) τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀχροατὴν διαθεῖναι πως, αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. Et quæ sequuntur verba Ciceronis (de Orat. II, 29): "Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur aut animi permotione cogatur", ea simillima sunt iis, quæ apud Aristotelem leguntur Rhet. III, 1: ἢ γὰρ τῷ αὐτοῖ τι πεπονθέναι οἱ κρίνοντες, ἢ τῷ ποιούς τινος ὑπολαμβάνειν τοὺς λέγοντας ἢ τῷ ἀποδεδεῖχθαι πείθονται πάντες. Itaque et in hac tripartita persuadendi ratione inter se consentiunt et in eo, quod animorum conciliationem et commotionem ad id, quod velit orator, perficiendum plurimum valere putant**). In eo autem dissi-

*) ἡθελίος λόγος Arist. rhet. I, 8, genus dicendi, quod ad vitam et mores accommodatur Cic. de orat. II, 53. Genus ἡθελίον et παθητικόν commemoratur etiam in Orat. cap. 37.

***) De orat. II, 43: "Valet igitur multum ad vincendum probari mores, instituta et facta et vitam eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus, et item improbari adversariorum, animosque eorum, apud quos agetur, conciliari quam maxime ad benevolentiam cum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicit orator." Arist. Rhet. I, 2: σχεδὸν ὡς εἰπεῖν κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἥθος. Cic. de

miles sunt inter se, quod Cicero, qui ut orator id unum agebat, ut rem ad vincendum apte et accommodate tractaret, tribus his persuadendi rationibus ut parem utilitatem, ita parem fere vim et dignitatem tribuebat, praesertim quum eloquentiae splendor in animis hominum commoventis et conciliandis inprimis cerneretur, Aristoteles autem, qui ut philosophus universam rei naturam magis ad veritatem apposite perspicere studebat, non minus quam Socrates et Plato *) acute videbat, id proprie agendum esse oratori, ut causam suam veram et iustam esse probaret, cetera autem, ut ad conciliandos et concitandos animos accommodate diceret, ut variis dicendi ornamentis orationem distingueret, esse ἔξω τοῦ πράγματος atque ad ea pertinere, quae essent πρὸς τὸν δικαστήν; bene constitutis autem civitatibus operam dandam, ut omnia removerent, quae iudicium animos a vero et recto deflectere possent Rhet. I, 1. Itaque Rhet. III, 1: τό γε δίκαιον, inquit, αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν, ἅστε τὰλλα ἔξω τοῦ ἀποδείξαι περίεργά ἐστιν ἀλλ' ὅμως μέγα δύναται διὰ τὴν τοῦ ἀγροατοῦ μοχθηρίαν.

Haec tria persuadendi praesidia in usu et tractatione oratorum semper versata esse, manifestum est. Quam accurate autem et subtiliter dicendi magistri Aristotele

orat. II, 42:" Nihil est in dicendo maius, quam ut faveat oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis quam iudicio aut consilio regatur. Arist. Rhet. II, 1: πολὺ διαφέρει πρὸς πλοῦτιν τὸ ποῖόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν ἔχειν πως αὐτόν, πρὸς δὲ τούτοις ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμενοι πως τυγχάνωσιν.

*) Plato Apol. Socr. cap. 1: ῥήτορος (ἄρειή) τὰληθῆ λέγειν. Cfr etiam Phædr. dial.

antiquiores ea distinxerint et singula diligenter tractaverint, parum compertum habemus. Illud satis constat, sophistas imprimis de orationis ornamentis et de animis iudicium concitandis in libris suis disputasse, cuius rei quæ exstant testimonia, ea accurate conguessit Spengel in artium scriptoribus. Ita Thrasymachus, quem ex Platonis Phædro novimus, iudicis commovendi artem tractavit ἐν τοῖς ἐλέοις Plat. Phædr. p. 267 C. D., Aristotel. Rhet. III, 1. Omnino autem ante Aristotelis tempora eas rhetoricæ artis partes, quæ ad orationem exornandam et ad animorum motus excitandos valerent, præ ceteris excultas esse, ex Rhet. I, 1 perspicuum est, ubi Aristoteles: νῦν μὲν οὖν, inquit, οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες ὀλίγον πεπορίκασιν αὐτῆς μόριον. αἱ γὰρ πίστεις ἐντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆναι, οἱ δὲ περὶ ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως, περὶ δὲ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος τὰ πλεῖστα πραγματεύονται· διαβολὴ γὰρ καὶ ἔλεος καὶ ὀργὴ καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς *) οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστὴν, et paullo post: εἰ δὲ ταῦθ' οὕτως ἔχει, φανερόν, ὅτι τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν ὅσοι τᾶλλα διορίζουσιν, οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων· οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἄλλο πραγματεύονται πλὴν ὅπως τὸν κριτὴν ποιὸν τινα ποιήσωσιν. περὶ δὲ τῶν ἐντέχνων πίστεων**) οὐδὲν δεικνύουσιν· τοῦτο δ' ἐστίν, ὅθεν ἂν τις γένοιτο ἐνθυμηματικός. Ab

*) Rhet. I, 2: πρὸς ὃ (ἃ: animi motus) καὶ μόνον πεπειρᾶσθαι φαμεν πραγματεύεσθαι τοὺς νῦν τεχνολογοῦντας.

**) Hoc strictius ad argumenta, quibus iudices doceantur, referendum; alias etiam ea, quæ ad conciliandos et movendos iudices valent, ad τὰς ἐντέχνους πίστεις referuntur.

aliis autem dicendi magistris conciliandorum animorum rationem minoris habitam esse, ex Rhet. I, 2 apparet: οὐ γὰρ ὅσπερ ἔμοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν etc. Quæ quum ita sint, illud certe constat, tria illa orationis præsidia ab Aristotele accurate inter se distinguî et separatim tractari, eandemque rationem a Cicerone in libris de orat. initam esse*). A posterioribus autem rhetoribus Græcis, quorum artes ex Aristotelis et Isocratis doctrina conflatas esse docet Cicero de invent. II, 2, hanc tripartitam rationem minus accurate descriptam nec separatim tractatam esse, vel inde colligas, quod in brevi expositione rhetoricæ artis, quæ duobus locis Cic. de orat. lib. I, 31 et lib. II, 19 reperitur, quum ceteras divisiones, quæ quidem in artis ratione maioris momenti essent, accurate enumeraverit Cicero, hæc desideratur, neque in ceteris Ciceronis scriptis rhetoricis, in quibus recentiorum Græcorum vestigia accuratius secutus est, de hac tripartita persuadendi materia separatim et seorsum disputari solet**). Itaque vix erraveris, si ab his dicendi magistris iudicis docendi rationem ad narrationis et confirmationis, conciliandi ad principii***), commovendi ad perorationis præcepta fere relatam esse credideris.****)

*) Docere Cic. de orat. II, 27—42, conciliare 43, movere 44—72.

***) Vide tamen Orat. 37. 38. Cfr. Quint. Inst. orat. VI, 2.

****) Rhet. ad Alex. cap. 29 Speng., Auct. ad Herennium I, 4.

*****) Dialog. Cic. de part. orat. cap. 1: "Orationis quot sunt partes? Quattuor. Earum duæ valent ad rem docendam, narratio et confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium et peroratio.

D.

Quæritur. quemodo dividenda sit materia ad
probandum oratori subiecta.

Explicata descriptione rerum ad persuadendum oratori inservientium ad singulas harum partium accuratius tractandas ingreditur Cicero atque ab ea incipit, quæ in causa argumentis probanda et in docendis iudiciis versatur. Qua de re ita disputat cap. 27, 116: "Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies, una earum rerum, quæ non excogitantur ab oratore, sed in re positæ*) ratione tractantur, ut tabulæ, testimonia, pacta, conventa, quæstiones, leges, senatus consulta, res iudicatæ, decreta, responsa et reliqua, si quæ sunt, quæ non ab oratore pariuntur, sed ad oratorem a causa atque a reis deferuntur, altera est, quæ, tota in disputatione et argumentatione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum est". His simillima sunt, quæ Aristoteles de eadem re disputat Rhet. I, 2: τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί**) εἰσιν, αἱ δ' ἔντεχνοι ἄτεχνα δὲ λέγω ὅσα μὴ

*) In oratt. partt. cap. 2 argumenta alterius generis vocat in ipsa re insita, infixæ, in hærentia

**) Oratt. partt. 2. "Quæ sine arte putantur, ea remota (assumpta) appello, ut testimonia. Vide etiam cap. 14. In rhetorica ad Alex. cap 7 duo nominantur τρόποι τῶν πίστεων γίνονται γὰρ αἱ μὲν ἐξ αὐτῶν τῶν λόγων καὶ τῶν πράξεων καὶ τῶν ἀνθρώπων, αἱ δ' ἐπιθετοὶ τοῖς λεγομένοις καὶ τοῖς πραττομένοις. Hæ sunt δύο τοῦ λόγου, μαρτυρίαι, βύβαι, ὄρκιοι. Ceterum horum argumentorum rationem alii aliter tradiderunt Quinct. Inst. orat. V, 3.

δι ἡμῶν πεπόρισται ἀλλὰ προὔπηρχεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἔντεχνα δὲ ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δὲ εὐρεῖν. Ad hanc materiem in re positam et iudicialis generis propriam accuratius tractandam cap. 15 reversus ait: εἰσὶ δὲ (ἔτεχνοι πίστεις) πέντε τὸν ἀριθμόν, νόμοι, μάρτυρες, συνθήκαι, βάσανοι, ὄρκος. Etsi autem dubitari non potest, quin utrumque genus oratorum usu semper celebratum sit, tamen eloquentiæ magistri, qui ante Aristotelem dicendi rationem scribendo illustrarunt, hæc duo argumentorum genera minus accurate distinxisse videntur. Quinctilianus quidem Inst. orat. V, 1 hanc partitionem ab Aristotele traditam posterioribus probatam esse docet. Omnino autem totam argumentandi rationem in oratoris disputatione collocatam minus accurate et diligenter a dicendi magistris tractari solitam esse, quamvis hi in primis in iudiciali genere (ἐν τῷ δικολογεῖν) versarentur, apparet ex iis Aristotelis verbis Rhet. I, 1, quæ paullo ante attulimus.

Itaque in maximis rebus et oratoriæ artis quasi fundamentis summus Aristotelis et Ciceronis consensus in his capitibus perspicitur. Sunt etiam minora quædam, de quibus inter eos conveniat. Ita Cicero sui temporis rhetoricos vituperans II, 19 ait: "Quæ enim præcepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam ego mihi benevolum iudicem facilius facere possum in cursu orationis, quam quom omnia sunt inaudita". Idem uberius explicat cap. 79: "Nam et attentum monent Græci ut principio

faciamus iudicem et docilem*); quæ sunt utilia, sed non principii magis propria quam reliquarum partium, faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et dociles magis initiis esse possunt." Idem autem Aristoteles Rhet. III, 14 suæ ætatis dicendi magistris obiicit: "Ἐτι τὸ προσεκτιζοὺς ποιεῖν πάντων τῶν μερῶν κοινόν, ἐὰν δέη· πανταχοῦ γὰρ ἀνῆσι μᾶλλον ἢ ἀρχόμενοι· διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάπτειν ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται. De narratione autem ita disputat Cicero cap. 19: "Iam vero narrationem quod iubent veri similem esse et apertam et brevem**), recte nos admonent; quod hæc narrationis magis putant esse propria quam totius orationis, valde mihi videntur errare". Quod copiosius explicatur cap. 80, 326—330. Similiter autem iam Aristoteles Rhet. III, 16 suæ ætatis rhetores reprehendit: νῦν δὲ γελοίως τὴν διήγησιν φασὶ δεῖν εἶναι ταχεῖαν· καίτοι ὡσπερ ὁ τῶ μᾶττοντι ἐρομένῳ,

*) Addi solet: *benevolum*. Auct. ad Herenn. I, 4, de invent. I, 15, Top. 26. Similiter apud Græcos. Vid. Anonym. Proleg. Walz Rh. G. IX, 65: *Προομιόν ἐστιν λόγος ἐπεξεργαστικὸς εὐνοίας καὶ εὐμθείας καὶ προσοχῆς.*

**) Hoc præceptum, quod Isoerati tribuit Quintilianus Inst. orat. IV, 2, habet etiam auct. rhet. ad Alex. cap. 30 Sp., qui docet, narrandum esse *βραχέως καὶ σαφῶς καὶ μὴ ἀπλοῦς*. Similiter præcipiunt posteriores. Vide auct. ad Herenn. I, 9, de invent. I, 20, Top. 26, Oratt. partt. 9. Apud rhetores Græcos nominantur *σαφήνεια, συντομία, πιθανότης*. Vide Theonis Progymn. Walz I, 183, Rufi rhetor. Walz III, 452. Quibus in Aphthon. Progymn. Walz I, 61 additur ὁ τῶν ὀνομάτων ἑλληρισμός, quam virtutem totius orationis propriam esse debere, manifestum est.

πότερον σκληρὰν ἢ μαλακὴν μάξι, "τί δ' ἔφη, εὖ ἀδύνατον"; καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως δεῖ γὰρ μὴ μακρῶς διηγεῖσθαι ὥσπερ οὐδὲ προοιμιάζεσθαι μακρῶς οὐδὲ τὰς πίστεις λέγειν, et quæ sequuntur. Itaque quod Cicero Aristotelem secutus benevolentiae et attentionis excitandae et brevitatis praecepta a principiis et narrationibus segregata ad omnes omnino orationis partes transfert, aliter agit atque in ceteris libris rhetoricis, in quibus aliorum rhetorum vestigiis insistens hæc praecepta solito Græcorum magistrorum more explicat.

Quæ quum ita sint, suo iure contendere videtur Catulus, non abhorrere Antonium ab inventis Aristotelis, et, quantum intra eos, quos nobis proposuimus, fines fieri posset, ostendisse nobis videmur, Ciceronem, quum in reliquis libris rhetoricis ex posteriorum magis rhetorum doctrina artis tradendae rationem hauriret et Aristotelem tantum sequeretur, quantum illi ipsi dicendi magistri eum secuti essent*), in libris, qui sunt de oratore, omissis

*) De invent. II, 2: "Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates, cuius ipsius quam constet esse artem non invenimus. Discipulorum autem atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. Ex his duabus diversis sicuti familiis, quarum altera, quum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricæ quoque artis sibi curam assumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio et præceptione occupata, unum quoddam est conflatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quæ commode dici videbantur, in suas artes contulerunt, quos ipsos simul atque illos superiores nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus et ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus."

